



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad III. V. Guillelmum Lamonium Senatus Principem. Polycrene Bavillana.  
Ode XXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Trepidæ laborant undæ , & alternis manus  
     Gaudent adorare osculis :  
 Justâ hinc tumentes se ferunt superbiâ ,  
     Dulcique plenæ imagine ,  
 Monti obviisque vallibus Lamonium  
     Fluctu loquuntur garrulo.  
 Jure ergo , fons venuste , delitias suas ,  
     Suosque amores te vocat.  
 Teque Polycrenen jure dici vult , novo  
     Plaudente famâ nomini.  
 Quod si futuri certa mens rite augurat ,  
     Inestque numen vatibus ;  
 Olim Hippocrenen occupatam barbaris  
     Meliore reddes omine :  
 Phœbo & relicto , sacra Musarum cohors  
     Unum colet Lamonium.

## AD ILL. V.

GUILLEMUM LAMONIUM SENATUS PRINCIPEM.

POLYCRENE BAVILLANA.

## ODE XXIV.

**P**RINCEPS maxime Gallici senatus ,  
 Gratias tibi maximas , Lamoni ,  
 Ago Nympha tui beata ruris ;  
 Et pro nomine quod mihi dedisti ,  
 Quo mutare suum optet Hippocrene ;  
 Et pro carminibus quibus poëtæ  
 Certatim Latiique Gallicique  
 Æternare meos student honores.

Z iiij

Namque hoc omne decus tuo in me amori  
 Acceptum refiero. Tibi placere,  
 Si tamen placeo , una nostra laus est.  
 Hinc sum fontibus invidenda cunctis.  
 Quin & jam mihi Sequana invidere  
 Narratur , quod identidem relictâ  
 Urbe latus aquas meas revisis.  
 Sed stulta uritur æmulatione ,  
 ( Pace quod dominæ velim esse dictum )  
 Estque ingratia animi , optime merentem  
 De se , tam male quæ remuneratur.  
 Æger nam quoties venis ab illa ,  
 Integris toties redis ad illam  
 Viribus : merito superba nostro est.  
 Ergo vise frequens tuos amores ,  
 Nec coëptum Boreas iter moretur.  
 Nam præsens hyemes fugabis atras :  
 Et quæ nunc pluviis geluque sordent ,  
 Suum restitues aquis nitorem.

## AD EUNDEM.

POLYCRENES BAVILLANÆ LIBELLUS SUPPLEX.

## O D E X X V.

**A**STRÆÆ decus , arbiterque legum  
 Lamoni, rudis illa , rustica illa  
 Fontis Nympha tui , dedit libellum  
 Ferre ad te mihi supplicem : querelas  
 Dixisse melius. Sed & querelis  
 Bonus consule , supplici & libello.  
 Votorum hoc caput & simul dolorum :  
 Abes , Lamonide , diuque cessas